

timorem, neque propter erubescenciam, nomen Christi confiteri prætermittat.

Ad 1 ergo dicendum, quod per baptismum regeneramur ad vitam spiritualem, quæ ad totum hominem pertinet. Sed in confirmatione roboramur ad pugnam, cujus signum ferendum est in fronte, quasi in evidenti loco.

Ad 2, dicendum quod, principium fortitudinis est in corde; sed signum apparet in fronte. Unde dicitur Ezech. 3: Ecce dedi frontem tuam duriores frontibus eorum. Et ideo sacramentum Eucharistiæ, quo homo in seipso confirmatur, pertinet ad cor, secundum illud Psalm. 103: Panis cor hominis confirmat. Sed ad sacramentum confirmationis requiritur signum fortitudinis ad alios, et ideo exhibetur in fronte.

Ad 3, dicendum, quod hoc sacramentum datur ad libere confitendum, non autem ad confitendum simpliciter, quia hoc fit etiam in baptismo. Et ideo non debet dari in ore, sed in fronte, ubi apparent signa passionum, quibus libera confessio impeditur.

Hic articulus jam est in superioribus explicatus.

ARTICULUS X.

Utrum ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio (4, dist. 7, quæst. 3, art. 3, quæst. 1).

1. Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod ille, qui confirmatur, non debeat ab alio teneri ad confirmationem. Hoc enim sacramentum non solum pueris, sed etiam adultis exhibetur. Adulti autem per se ipsos stare possunt. Ergo ridiculum est, quod ab alio teneantur.

2. Præterea, ille qui jam est de Ecclesia, liberum habet accessum ad Ecclesiæ principem, qui est Episcopus. Sed hoc sacramentum sicut dictum est (art. 6 hujus quæst.), non exhibetur, nisi baptizato, qui jam est membrum Ecclesiæ. Videtur ergo, quod non debeat per alium exhiberi Episcopo, ad hoc sacramentum recipiendum.

3. Præterea, hoc sacramentum datur ad robur spirituale, quod magis viget in viris, quam in mulieribus, secundum illud Proverbiorum ultimo: Mulierem fortem quis inveniet? Ergo ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem.

Sed contra est, quod Innocentius Papa dicit (Exuperio Toletano Episc.), et habetur in Decret., 30, quæst. 4: Si quis ex uno conjugio

filius aut filiam alterius, de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit, etc. Ergo sicut requiritur, quod aliquis baptizatus de sacro fonte leveat, ita debet aliquis teneri ad sacramentum confirmationis accipiendum.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præced.), hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugne spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conservationem vitæ (secundum illud Hebræor. 12: Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores et reverebamur eos), ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruuntur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, sicut dictum est (art. 2, 4 et 5 hujus quæst.), ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi ad hoc spiritualiter imbecillis et puer.

Ad 1 ergo dicendum, quod, licet ille qui confirmatur, sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter.

Ad 2, dicendum, quod licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est adscriptus militiæ christianæ. Et ideo Episcopo tanquam duci exercitus per alium exhibetur jam militiæ christianæ adscriptum. Non enim debet alium ad confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus.

Ad 3, dicendum, quod, sicut dicitur Colos. 3, in Christo Jesu non est masculus et femina. Et ideo non differt utrum masculus vel femina teneat aliquem in confirmatione.

COMMENTARIUS.

1. Postquam D. Thom. tractavit de iis, quibus dandum est hoc sacramentum, acturus jam de iis, a quibus est ministrandum, præmittit sermonem de accidentali ministerio, quod exhibetur ab eo, qui confirmandum tenet, qui patrinus vel sponsor seu susceptor dici potest, sicut in baptismo dictum est. De quo susceptore valde antiqua est Ecclesiæ traditio et consuetudo, ut constat ex Igin. P. in cap. In catechismo, de Consec., d. 4, ubi dicit, non esse Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, ut idem sit ejusdem personæ patrinus,

seu susceptor, in baptismo et in confirmatione, quanquam ob necessitatem id fieri possit; et in c. sequente, ex Leone P., sicut in baptismo, ita et in confirmatione dicitur, unum tantum debere esse susceptorem, vel virum vel foeminam; rursusque in sequente cap. additur ex Conc. Mogunt. hujusmodi patrinum debere esse confirmatum. Ratio autem hujus cæremoniæ reddi potest, vel ex sola significatione, vel etiam ex ministerio. Nam probabile est, solum adhiberi hujusmodi patrinum ad ornatum, et ad significandum (ut recte D. Thom. explicat in art.) confirmandum esse tyronem in spirituali militia, ideoque indigere, ut alicujus arte et consilio doceatur, ac muniatur; unde etiam probabile est, hujusmodi patrinum introductum seu institutum esse ab Ecclesia, ut hoc spirituale ministerium circa confirmatum exerceat.

2. Quæ sit susceptoris obligatio? — Quæ cognatio spiritualis contrahatur inter susceptorem et confirmatum. — Dubium autem esse potest, an hujusmodi obligatio sit patrino imposita sub præcepto. Hinc enim videtur suo muneri annexa; alias cur spiritualis pater vocatur, et alium in filium suscipere dicitur, cap. In baptismo, de Consec., dist. 4? Item in Pontif. Roman. dicitur, patrinum obligari ad informandum confirmatum bonis moribus et operibus. Aliunde autem videtur, eum proprie non teneri ad hujusmodi instructionem, tum quia nullum est jus, ex quo id colligatur; omnia enim, quæ hanc obligationem indicant, loquuntur de solo susceptore baptismatis, ut patet ex supra tractatis, quæst. 67, art. 7 et 8; tum etiam quia neque D. Thom. neque alii auctores hujus obligationis meminerunt; tum denique quia non est omnino eadem ratio, quæ in baptismo; nam qui confirmantur, regulariter sunt jam adulti, et habent etiam alium baptismatis susceptorem et fidejussorem, a quo instrui debent. Unde regulariter et moraliter dicendum videtur; in aliquo autem casu necessitatis posset talis obligatio intercedere. Appellatio ergo patrini in hoc sacramento sumpta est ex ipso cæremoniali ministerio tenendi confirmandum, ex quo etiam oritur spiritualis quædam cognatio juxta antiqua jura, ut colligitur ex c. Si quis, et c. De his, 30, quæst. 4, et ex c. Si qui, 30, quæst. 4, et ex c. 4, De cognatione spirituali, in 6, quam cognationem una tantum persona contrahit regulariter, quia unus tantum potest esse patrinus hujus sacramenti, ut dictum est; si vero de facto

plures teneant confirmatum, omnes hanc cognationem contrahunt, ut statuitur in c. Quamvis, de Cognat. spir., in 6; hoc autem et alia, quæ pertinent ad hanc cognationem, limitanda sunt juxta statuta in Concil. Trident., sess. 24, cap. 2 de Reform. matrimonii, et declarata supra dict. quæst. 67, art. 8. Addunt etiam aliqui, eum, qui non est confirmatus, si alium teneat in confirmatione, non contrahere hanc cognationem. Ita tenet Victoria in Summa, n. 54, cum Angelo eodem verbo, n. 44; Tabiena, § 7; Astensi, tit. 7, art. 8. Contrarium tamen tenuit Sylvester, verb. Matrimonium, 8, quæst. 7, n. 12, qui citat Summam Rosell., et Soto in 4, d. 42, quæst. 4, art. 4, quia sufficit, inquit, character baptismalis, ut susceptor sit capax hujus cognationis. Nihilominus verior apparet prima sententia, quæ non fundatur in incapacitate, sed in hoc, quod ille revera non est susceptor, cum non habeat condiciones ab Ecclesia requisitas ad illud munus. Unde in prædicto cap. In baptismo æque dicitur, non posse hominem non confirmatum alium tenere in confirmatione, eumque in filium suscipere, sicut non potest non baptizatus in baptismo. Atque hinc colligitur, verum esse quod docuit Sylvester, verb. Confirmatio divina, num. 5, scilicet, peccare eum, qui cum non sit confirmatus, alium in confirmatione tenet; non autem explicat, quale hoc peccatum sit. D. Thom. autem hic dicens, non confirmatum non debere esse confirmationis patrinum, significat non esse grave seu mortale peccatum; probabile tamen est ex suo genere esse mortale, quia hæc cæremonia est gravis et recepta ab Ecclesia, unde sicut illam omnino omittere, ex suo genere est grave peccatum, ita etiam eam irritam facere.

ARTICULUS XI.

Utrum solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit (4, dist. 7, quæst. 3, art. 1, quæst. 2, et d. 23, quæst. 1, art. 1, quæst. 2, et d. 25, quæst. 1, art. 1, corp., et 4 cont., cap. 60, et Quodl. 10, art. 7).

1. Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod non solum Episcopus hoc sacramentum conferre possit. Gregorius enim scribens Januario Episc. dicit (lib. 3, epist. 26, in fin.): Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrisma tangere eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, et nos quidem secundum veterem usum nostræ Ecclesiæ feci-

mus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. Sed illud, quod pertinet ad necessitatem sacramentorum non est propter vitandum scandalum immutandum. Ergo videtur, quod non sit de necessitate hujus sacramenti, quod ab Episcopo conferatur.

2. Præterea, sacramentum baptismi videtur majoris efficaciam, quam sacramentum confirmationis, quia per baptismum fit plena remissio peccatorum, et quantum ad culpam et quantum ad pœnam, quod non fit in hoc sacramento. Sed simplex sacerdos potest baptizatos ungere chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

3. Præterea, summitas capitis, ubi secundum medicos est locus rationis, scilicet particularis (quæ dicitur virtus cogitativa), est nobilior fronte ubi est locus imaginativæ virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos ungere chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

Sed contra est, quod Euseb. P. dicit (epist. 3 ad Episc. Tusciæ et Campaniæ, et habetur de Consecr., dist. 5, cap. 4 Manus quoque): Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam qui eorum locum tenent, unquam perfici potest, aut fieri debet; nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, et vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. Est igitur de necessitate hujus sacramenti, quod dicitur sacramentum manus impositionis, quod ab Episcopo tradatur.

Respondeo dicendum, quod in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti aut virtuti reservatur, sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam; supremus autem est, ad quem pertinet usus, qui est finis artificiorum; et epistola, quæ a notario scribitur, a domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus (secundum illud 1 ad Cor. 3: Dei ædificatio estis); sunt etiam quasi quædam epistola Spiritu Dei scripta, sicut dicitur 2 Cor. 3. Hoc autem confirmationis sacramen-

tum, est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi, ita scilicet (August., lib. Quæst. nov. Test., quæst. 54, et de Trin., lib. 13, cap. 26, tom. 3), quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur, quasi quædam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio hujus sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut in primitiva Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Actor. 8. Unde Urbanus Papa dicit (in epist. ad omnes Christianos, habetur de Consecr., d. 5, c. Omnes fideles): Omnes fideles, per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur.

Ad 1 ergo dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregor. Papa (lib. 3 Epist., epist. 26, in fine), quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.

Ad 2, dicendum, quod sacramentum baptismi est efficacius, quam hoc sacramentum, quantum ad remotionem mali, eo quod est spiritualis regeneratio, quæ est mutatio de non esse, in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum, et ideo hoc sacramentum digniori ministro committitur.

Ad 3, dicendum, quod sicut Rabanus dicit in libro de Institutione clericorum (lib. 1, c. 30, in princ., refertur de Consecr., d. 5, c. 5), signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem vero in fronte, ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritus Sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et virtutis venire in hominem declaretur. Non ergo propter digniorem partem, sed propter potiore effectum, hæc unctio Episcopis reservatur.

DISPUTATIO XXXVI,
ET QUINTA HUIUS SACRAMENTI.
DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

In hac disputatione supponenda sunt omnia, quæ de ministris sacramentorum in genere supra sunt tradita; supponendum deinde est, nullum presbytero inferiorem posse esse ministrum hujus sacramenti, ut ex dicendis a fortiori constabit. Tota ergo controversia versatur inter presbyterum et Episcopum, de quibus breviter dicemus, et de conditionibus ad hoc ministerium requisitis.

SECTIO I.

Utrum solus Episcopus sit ordinarius minister hujus sacramenti.

1. Quilibet Episcopus est sufficiens minister hujus sacramenti, et si alienas confirmet oves, factum tenebit, licet peccet usurpando jurisdictionem. — Addimus in titulo illum terminum, Ordinarius, quem Concil. Trid. in sua definitione addit, ut abstinemus a quæstione de extraordinario ministro ex Summi Pontificis dispensatione, seu delegatione, quam sectione sequenti tractaturi sumus. Supponimus autem id, quod indubitatum est, Episcopum esse sufficientem ministrum hujus sacramenti, ut a fortiori patebit ex omnibus testimoniis afferendis: et ratione constat, quia potestas ad conferendum sacramentum hoc, non est potestas jurisdictionis, sed Ordinis; sed potestas Ordinis est suprema in Episcopo, ut ita possit ille quicquid inferiores possunt ex vi sui Ordinis; ergo, si aliquis est sufficiens minister hujus sacramenti, maxime Episcopus. Unde obiter infero, quemlibet Episcopum, quantum ad necessitatem sacramenti attinet, esse sufficientem ministrum hujus sacramenti, respectu cujuslibet hominis baptizati. Nam licet ex præcepto unusquisque teneatur non confirmare alienas oves, neque usurpare alienam jurisdictionem, tamen quia illa jurisdictio non est de substantia hujus sacramenti, quod, non per modum iudicii, sed per modum cujusdam consecrationis exercetur, ideo licet male faciat, et contra jus alterius, Episcopus, qui alterius subditos confirmat sine ejus licentia, sacramentum tamen factum tenet, et ita quilibet Episcopus est sufficiens

minister; imo addi ulterius potest, certum esse, Episcopum esse necessarium ministrum hujus sacramenti, saltem necessitate præcepti, ut a fortiori constabit ex omnibus dicendis; difficultas ergo est, an sit etiam necessarius ad substantiam sacramenti.

2. Error Wicleph. — De hac re fuit error Wicleph asserentis, quemlibet sacerdotem esse sufficientem ministrum confirmationis, ut colligitur ex Concilio Constantiensi, sess. 8, ubi hic error damnatur inter alios, et est n. 28, ut refert Waldensis, 2 tom. de Sacram., c. 114; et in eundem errore incidit Archanus, lib. 11 de quæst. Armenorum, c. 4; et Duran. in 4, dist. 7, quæst. 3, post longam disputationem, concludit n. 11, rem esse dubiam, licet probabilius sit contrarium, scilicet, solum Episcopum esse ministrum; et fere idem sentit Scotus, quæst. 1; et Cajetanus hic, et Actorum 8, censet Episcopum esse quidem necessarium ministrum, necessitate præcepti, non autem sacramenti. Refert etiam Ambrosius ad Ephes. 4, Ægyptios olim fuisse in eadem sententia; et Augustin. (unde Waldens. supra refert) in lib. Quæst. novi et veteris Testam., q. 104, hæc verba habet: In Alexandria et per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat presbyter; tamen in emendatioribus exemplaribus non legitur, consignat, sed, consecrat; imo (ut Waldens. notat) Ægyptii non proprie in hoc errabant, sed in eo quod sacramentum confirmationis negabant, solamque cæremonialem unctionem chrismatis, quæ fit in solemnibus baptismis, cognoscebant, et ideo frequenter aiebant, eam non esse propriam Episcopi, sed a presbytero etiam ministrari posse; imo etiam dicere possent, diacono posse interdum concedi, ut constat ex supra dictis de ministro baptismi, et ex Ambrosio, 1 de Sacram., cap. 2. Refert etiam Turrianus in lib. 3 Const. Clemen., cap. 16, ex Nicol. I, ep. ad Hincmarum Rhemensem, Græcos olim Latinos reprehendisse, eo quod prohiberent presbyteris chrismate baptizatorum frontes ungere. Denique Hieron., dialogo contra Luciferianos, dicit, non ad legis necessitatem, sed ad sacerdotii honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, ut illis manus imponant. Significat ergo, hoc non esse de necessitate sacramenti, imo nec legis divinæ, sed solum cujusdam ecclesiasticæ consuetudinis. Unde in nonnullis decretis solum dicitur, non licere presbyteris, Spiritum Sanctum dare per manus impositionem, ut videre licet in Concil. Hispalens. II, cap. 7;